



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1766

VD18 90118251

§. 46. Creantur Cardinales.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

ne fallerentur, & adversariis quidquam concederent. Hoc est exemplum memorabile subdolarum litigandi artium, quæ tunc regnabant.

Sæcul. XIV.
A.C. 1310.

§. XLVI.

Creantur Cardinales.

Mense Decembri an. 1310 die sabbati, qua trimestris ecclesiastici jejunium colebatur, 19 mensis Papa Clemens Cardinales iterum declaravit, & quidem quinque numero. Primus erat Arnaldus Feugerius Archiepiscopus Arelatensis, quem fecit Sabinensem Episcopum. Alter fuit Bertrandus Desbordius Episcopus Albigenis Papæ cubiculis præfectus; qui ab eo nominatus est Cardinalis Presbyter de SS. Joanne ac Paulo: sed obiit anno proximo mense Septembri. Tertius, Arnaldus de Novo ex Ordine Cisterciensi Fontis Frigidi Abbas, ac Ecclesiæ Romanæ Pro-Cancellarius, Cardinalis Presbyter de S. Prisca. Quartus, Raymundus Fargius Papæ nepos, Cardinalis Diaconus de S. Maria Nova. Quintus, Bernardus Garvius Liberatensis Cardinalis Diaconus de S. Agatha. Papam itidem sanguine contingebat: & hi duo non tum erant Hypodiaconi consecrati, cum fierent Cardinales: id

Rayn. n. 47.
Baluz. vit. I.
p. 73. 657.

p. 665.

Y y 5 quod

Secul. XIV. quod tunc temporis pro eximia legis la-
A. C. 1311. xatæ gratia habebatur.

§. XLVII.

Regis Philippi cessatio.

Diff. p. 296.
Sup. l. 90.
 §. 18.

Ineunte anno proximo Rex Philippus Pulcher ab actione contra memoriam Bonifacii tandem desistit: ut docet epistola Papæ Clementi scripta; in qua rem repetit a senatu habito Parisiis mense Martio an. 1303; ac demique declarat se illam futuro in concilio aut alibi decidendam Papæ Cardinaliumque judicio relinquere. Absit enim, adjungit, ut in dubium revocem illud, quod tua Sanctitas in fidei quæstione statuerit, præsertim cum approbatione Concilii. Dabat Fonte Bellaqueo mense Februario an. 1310 nempe 1311 ante Pascha.

p. 592.
Rayn. 1311.
n. 26.
Diff. p. 597.

Papa igitur edidit litteras, in quibus agnoscit Regem hanc actionem bono animo suscepisse, eumque asserit infontem capti Bonifacii & omnium illius temporis facinorum. Revocat & infirmat omnes sententias & sanctiones honori, libertati, ac juribus Regis regnique noxias a prima Novembris anni 1300 editas, jubetque illas eximi de tabulis publicis Ecclesiæ Romanæ. Generali tamen venia excludit Guilielmum Nogaretum,